
3

R.MI P.D. CAJETANI PASSARELLI
Clerici Regularis
Sanctæ Romanæ Universalis Inquisitionis Qualificatoris, & Catholici Regis à Concionibus.

EPISTOLA
Ad Illustrissimum ac Reverendissimum D.
PROSPERVM BOTTINIVM
Archiepiscopum Myrensem, & Fidei Promotorem, Sanctique Officij Consultorem &c.

DE OPERE INSCRIPTO:
SACRA MONARCHIA
S.LEONIS MAGNI PONT.MAX.
passim & ubique fulgens
IN POLEMICA HISTORIA
CONCILII CHALCEDONENSIS.



Quæris à me, Illustrissime ac Reverendissime Domine, & eo jure, ac potestate quæris, qua dudum arctissimè tibi tot officiis, ac titulis mancipatus obtemperare cogor, ut exponam, quid ego sentiam de hoc secundo Volumine, quod Ad. Reu. Pater Joannes Laurentius Lucchesinius è Societate Jesu, non minus san-

guine tibi, quàm virtutum splendore cognatus, laudem eximiam primo quoque Volumine partam augendo, composuit. Et planè tua præcepta tam mihi honorifica, quàm jucunda cum alacriter suscepissem, ut in primis eluceat, quantum utilitatis, atque decoris hic Liber Apostolicæ Sedi sit collaturus, placet, totam Voluminis seriem retexere, & per fidele compendium alio ordine tradere, ut inde quisque faciliùs Nova, atque Fortia ab Auctore porrecta Jacula arripiat, quibus non rectè erga Sedem Apostolicam opinantes evincat. Eruditissimus quippe Auctor Sacri Concilii Chalcedonensis Historiam Polemicam texens juxta rerum, & temporum ordinem ex doctrina, rebusque Synodalibus gestis argumenta pergendo colligit, quibus Supremam Romani Pontificis Potestatem Monarchiæ nomine expressam vehementer confirmat. Ego verò epilogum Operis compacturus quædam ex his argumentorum telis, suo loco, & ordine extracta in tria distincta armamentaria coniiciam, ubi Sedis Apostolicæ studiosis parata sint arma, tribusque ritè disposita partibus, unde solent nonnulli Vaticani fastigium petere. Tria enim potissimùm circa Jus Pontificium in quæstionem jactantur. An sententia, sive judicium Romani Pontificis sit ab Ecclesia emendabile? An idem Pontifex Universali Concilio Superior emineat? ac tandem An ipse, dum ex Cathedra Fidei Decreta loquitur, infallibilis sit? Ad tres præliares istos suggestus Sedi Apostolicæ oppositos, & infirmis, vanisque ictibus obstrepentes amoliendos, quæ, & qualia arma in hoc Libro suggerat Auctor per compendium ostendam, eaq; in suo separato armamentario seponam.

Priori pro assumpto de Sententia, & Judicio Romani Pontificis per Ecclesiam irretractabili, valet & Libri Titulus: *Sacra Monarchia*; hæc enim, ex Aristotele lib.3. Politic. uno Capite, ac Supremo Rectore constat, qui omnia

nia

nia suo arbitrio, & voluntate rapit, & cujus adamantina fere Decreta nec Tribunalis, nec cujusque vis Magistratus, aut universi auctoritas Regni rescindere jure valet. Hanc porrò Ecclesiasticam Monarchiam assertururus, hæc inter alia argumenta exhibet Auctor. Apud Concilium Chalcedonense sæpe simplex hoc nomen *Universalis*, aut *Ecclesiæ Universalis Episcopi* aliàs à tota Synodo, aliàs à quibusdam Episcopis, vel Apostolicæ Sedis Legatis Papæ Leoni invenitur adscriptum, qui congruere Titulus minimè potest Supremo nisi Rectori, & summam, plenamque velut Monarchæ super Universam Ecclesiam potestatem habenti. Proinde D. Thomas in Opusculo contra errores Græcorum hoc Summum Romani Pontificis Jus, & plenitudinem potestatis Ecclesiam circumplectentem demonstraturus allegauit, Concilium Chalcedonense acclamasse Magno Leoni: *Papa Leo Sanctissimus Apostolicus & Icumenicos*, idest, *Universalis Patriarcha*. Neque hujus argumenti vim enervare Constantinopolitani Antistitis supercilium, qui eumdem sibi Titulum petulanter adjecit, satis hîc explicat Auctor, & fusius in altero Libro explicuerat, cui titulus est: *Demonstrata impiorum Insania*. In eodem Concilio Chalcedonensi proscriptus cum esset Dioscorus Alexandrinus Antistes in hunc modum Synodalis damnationis Sententia manauit: *Sanctissimus, & Beatissimus Archiepiscopus magnæ, & senioris Romæ Leo per nos, & per præsentem Sanctam Synodum, unà cum ter Beatissimo, & omni laude digno Beato Petro Apostolo, qui est Petra, & Crepido Catholicæ Ecclesiæ, & rectæ fidei fundamentum, nudavit eum tam Episcopatus dignitate &c.* Vbi rectè notatur, quod principalis Synodi actio, ac rerum propemodum summa in Leonis Persona, nedum ut Concilii, sed etiam Ecclesiæ Rectore, atque Capite collocatur: nimirum quia Petrus, & qui ei in Officio ac Potestate succedit, est crepido, & Fundamentum, cui uni-

pag. 168 & 194.

pag. 190

versæ Ecclesiæ moles incumbit. Quod autem sustinetur, ab eo, cujus innititur viribus, dependere necesse est. Ex hac præterea authentica interpretatione Concilii multum ruboris pudorisque illis suffundi debet, qui illa Evangelica verba: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum*: in fauorem Ecclesiæ in communi, non singularis Personæ Petri tortuosa intelligentia detorquent; siquidem hujus Synodi Acta verba Euangelii, & per illa significatum peculiari Personæ Petri, & Officio tantummodo applicant, & ab illo subinde in alios ministros fluit. Qua veritate, ut videtur, firmiter stabilita, nihil vltra facultatis, aut virium ad contendendum superest adversariis. Item Concilium Chalcedonense in Synodica, qua à Leone Actorum Con-
pag 170 firmationem efflagitat, de eodem Divo Leone dicit: *Cui Vineæ custodia à Salvatore commissa est*, ubi Synodi Patres unam, & integram Vineam Ecclesiæ Catholicæ loco statuunt, ideoque Unum, Supremumque Custodem, & Curatorem, cui cæteri Custodes subordinati ministrent: quo nihil quidem expressius, ac dilucidius effingi pro Monarchico Ecclesiæ declarando Regimine potest, cum omnia infra Custodiam, & Unius Principis altitudinem jaceant. Introspexit hanc Romani Pontificis Majestatem inter Cæsarei quoque diadematis radios Marcianus Augustus, & tunc primùm ad Imperii solium evectus, cum vellet dominationis initia feliciter auspicari, hoc dignum Christiano Principe obsequium Divo Leoni scribendo reddi-
pag. 101 dit: *Tuam Sanctitatem, Principatum in Episcopatu Divinæ Fidei possidentem, sacris literis in principio justum credimus alloquendam*. Quo loco illustrare videtur Augustus illud Diui Cypriani in tractatu de Ecclesiæ Unitate positum argumentum, quo nihil jacitur efficacius ad Ecclesiæ Monarchiam asserendam: *Episcopatus unus est, & Ecclesia una*: eademque planè ratione Sanctus Stephanus Papa, Leo,

alii-

aliique Romani Pontifices sese *Episcoporum Episcopos* nuncuparunt, & à Divo Bernardo, & aliis, multisque Patribus eodem titulo ornati sunt. Sed longè clarius idipsum expressit Valentinianus Theodosii junioris Collega, cum ipsum Theodosium sic per epistolam est allocutus: *Quatenus Beatissimus Romanæ civitatis Episcopus, cui Principatum Sacerdotii super omnes Antiquitas contulit*. Neve fortasse verba Cæsaris cavilleris, quod Primatum dumtaxat, Ordinisque prærogativam, non Jus universalis Regiminis indicent, statim idem Valentinianus adjecit: *Locum habeat de fide, ac Sacerdotibus judicare*. Judicium quippe legitimum, quod super omnes Pontificem possidere disertè Valentinianus testatur, Jurisdictionem advolvit. Accedit & aliud locuples testimonium ex eadem regnatrice domo selectum, Gallæ nempe Placidiæ, quæ de Apostolicæ Sedis auctoritate ita per epistolam Imperatori loquitur: *In qua primus ille, qui cælestes claves dignus fuit accipere, Principatum Episcopatus ordinavit*: deinde in Leonis favorem flectens, & quantum Imperatoriam dignitatem deceret, illum patrocinari, vulnera Ecclesiæ per Ephesinum latrocinium inflicta resarcire curantem, apposuit: *Diligentius autem in hoc providere, ne, quod priscis temporibus nostra generatio custodivit, sub nobis imminui videatur, & per præsens exemplum Schismata generentur inter Episcopos, & Sanctas Ecclesias*. Uni quippe Leoni cuncta prospicienti, & irruentibus undique malis solatium, & medicinam afferre sedulò cogitanti, inhærere, sectari necesse erat, ne passim Schismata emersa, & turbas exagitantia pessum Ecclesiam darent. Cohæret aureæ huic Placidiæ sententię illa celebris Divi Hieronymi in lib. 1. contra Jovinianum: *Ex duodecim unus eligitur, ut Capite constituto Schismatis tolleretur occasio*: quia nisi unius Sententia, uniusque Judicium, utpote Capitis, Supremique Rectoris in tota Ecclesia vim ineluctabilem haberet, daretur Schis-

pag. 87.

pag 91.

pag 92.

pag 89.

Schismati locus aliorum alia censentium, & varia pro variis sententiis templa & altaria struentium, & tot Capita, quot sententiæ in confusione, ac tumultu Ecclesiam Dei permiscerent: quibus calamitatibus, aliisque publicis detrimentis Christus occurrere voluit uno Capite, uno Supremo Judice, uno contentionum Arbitro constituto. Qui veritatis radius nę Ethnicos quidem inter erroris caliginem latuit; refert enim Tacitus in primo Annalium libro, ob certamina potentium, & ardorem seditionum Romanæ reipublicæ afflictæ, tunc ad unum delatis rebus, succurrisse Monarchiam: & fusius idem explicat Aristoteles jam allegatus. Alia, & firma argumenta in proposito Auctor adducit, quorum pars quia cum cæteris ante jactis Articulis connexionem habet, alteri loco seponitur.

Hujusmodi itaque Monarchiæ, atque Monarchæ Jus est, quod ita ejus Decreta vigeant, atque consistant, ut à nemine in terris dissolvi possint, quemadmodum etiam, ne intra limites Monarchiæ Tribunal, aut Magistratus, aut quæcunque Potestas existat, quæ jure Monarcham subigere valeat. Ita docet Aristoteles Politic. lib. 3. cap. 11. & lib. 4. cap. 2. quem pro Monarchia Ecclesiæ in hunc modum constituta citat Sanderus lib. 3. cap. 3. Ex quo ad alium firmandum Articulum transeo, seu ad alterum instruendum armamentarium, quod adversus assertores Concilii supra Papam Auctoritatis tela ministret. Et primò aliquid eruitur ex Actis Concilii Secundi Ephesini, quod licet statim degeneraverit in Latrocinale, tamen certè Generale fuit; ex eo enim patet Pontificium Jus excipiendi omnium, etiam Orientalium, Appellationes, adeoque Jurisdictio supra Universam Ecclesiam, & Potestas damnandi, aut comprobandi Generalia Concilia. Impiè, & iniquè Flavianus Constantinopolitanus Antistes damnatus, ac sua Sede dejectus Apostolicæ Sedis

Le-

Legatis porrecto libello de Synodali Sententia ad Papam Leonem appellavit; cujus vis Appellationis adeo prævaluit, ut Placidia in præfata epistola monuerit Theodosium Imperatorem, ut tot flagitiis, ac turbis ea tempestate miscentibus omnia ob Ephesinam Synodum concitatis, Flavianus, qui Leonem appellaverat, per omnia illæsus, & integer servaretur *In statu Sacerdotali illæso manente per omnia Flaviano*. Nam Flaviani Appellationem, quam in hoc loco Placidia innuit, liquidius Theodosio Imperatori scribens Leo Pontifex explanavit: *Nostri fideliter reclamarunt* (Legati scilicet Apostolicæ Sedis) *& iisdem libellum Appellationis Flavianus Episcopus dedit*. Pag. 77.
Eamdem viam appellationis ad Leonem directæ tenuit Episcopus Theodoretus in ipsa Ephesina Synodo quoque damnationis sententia perculsus, ut constat ex Actis Concilii Chalcedonensis. Ne verò reponas, hoc Concilium non fuisse legitimum, his adiicio Macarium Antiochenum, & alios à Sexta, ac Sacrosancta Generali Synodo condemnatos, qui cum ad Romanum Pontificem provocassent, Romam ad prosequendam Causam dimissi sunt, sicut his verbis refert Constantinus Augustus Pogonatus, qui eidem Synodo interfuit, in Epistola Leoni Papæ II. reddita: *Omnes verò scriptis precibus Serenitatem nostram communiter precati sunt, ut eos ad Beatitudinem vestram mitteremus. Sic igitur fecimus vestro paterno Judicio omnem ipsorum causam permittentes*. Extat hæc Epistola post Sextæ Synodi Acta apud Editionem Romanam jussu Pauli V. excusam. Exploratum est autem, omnique iure firmum, & inconcussum, non licere Appellationem nisi ad majus Tribunal deferri. Quocirca rectè & appositè Auctor etiam animadvertit, quod cum apud Concilium Chalcedonense Acta Ephesinæ Secundæ Synodi publicè legerentur, atque ad id ventum esset, quod Flavianus Sententia Synodica ictus ad Leonem de gravamine provo-

caſſet, eiuſque Appellationem Dioſcorus aſpernatus nihil de ſua impietate, & ſæuitiâ remittere voluiſſet, horrore, atque ſtomacho Patres affecti unanimes exclamarunt: *Anathema Dioſcoro: hac hora damnavit, hac hora damnetur. Sancte Domine, tu illum vindica. Catholice Imperator, tu illum vindica. Leoni multos annos*. Acta verò ſecundæ Epheſinæ Synodi in Chalcedonenſi relecta ſunt, ut Dioſcori ſcelera, cujus cauſa ventilabatur, palam omnibus fierent, eaque percurſa, maledictiſque proſciſſa conſenſu quoque Patrum in irritum abiere. Verumtamen eadem iniqua perverſaque Acta longè antequam ad Concilii Chalcedonenſis cognitionem accederent, jam projecerat, ac ſuprema ſua Auctoritate calcaverat Divus Leo; unde Hilarus Diaconus, qui ut Leonis Legatus eidem Synodo interfuit, ſcripſit ad Pulcheriam Auguſtam: *Veſtra igitur veneranda clementia agnoſcat, à præfato Papa* (ſcilicet Leone) *cum omni Occidentali Concilio reprobari omnia, quæ in Epheſo contra Canones, & per tumultus, & odia ſecularia geſta ſunt à Dioſcoro Epiſcopo*. Quod ſanè pro ſummo, Synodoque altiori, Romani Pontificis Jure argumentum ſuo pondere valet; cui enim fas eſt expungere Legem, is neceſſariò ſupereminet Legi; Synodica verò Acta Eccleſiaſticæ Leges ſunt. Quod ſi objeceris, illa Acta non fuiſſe Synodica, hoc ſaltem patet in reliquis Synodis à Sede Apoſtolica reprobatis. Suffragatur huic ſolidæ veritati ſuo quoque calculo appoſito idem Valentinianus Collega Theodoſii, qui ad ipſum ſcribens Imperatorem, eumdemque monens de futuræ Synodi utilitate, qua Eccleſiæ ſcandala, ac detrimenta ab Epheſina Synodo cumulata rependerentur: *Ut prædictus* (ſcilicet Leo, inquit,) *congregatis ex omni orbe etiam reliquis Sacerdotibus intra Italiam, omni præjudicio ſubmoto, à principio omnem cauſam, quæ vertitur, ſollicita probatione cognoſcens, ſententiam ferat, quam fides, & ratio veræ Divinitatis expoſtu-*

pag. 133
pag. 80.
pag. 89.

postulat. Quo verborum sanè contextu Cæsar Concilii Actionem, Auctoritatem, & vim decernendi primariò in Romano Pontifice, velut Supremo Synodi Judice, locat. Eosdem profectò sensus, iisdemque terminis explicatos pro excellentia Papæ supra Concilium expromit Marcianus Augustus, cum de conditione, & forma congregandi Concilii Papæ Leoni scribens: *Omnes sanctissimi Episcopi* (inquit) *debeant convenire, & quæ Christianorum Religioni, & quæ Catholicæ Fidei prosint, sicut Sanctitas tua secundùm Ecclesiasticas Regulas definiverit, sua dispositione declarent*. Quo planè videtur Definitio apud Synodos ad Romanum Pontificem pertinere; non quia re vera Episcopi vacent à jure definiendi, sed quia eorum Sententia, aut corrigenda, aut delenda, aut denique confirmanda Summo Pontifici, ut Supremo Judici, submittatur. Qua porrò de causa in Conciliis Generalibus, quæ in Occidente, ipso præsente Romano Pontifice, facta sunt, cum res sanciri contingat, *Sacro approbante Concilio*, reperitur, ita Summum Pontificem decernere voluisse, aut jussisse, quia nimirum Definitio, aut Decreta ratione Supremi Juris primariò ad Pontificem Maximum spectant. Hęc canonica sunt testimonia, Imperatoriis quoque attestationibus decorata. Nec quidem verisimile apparet, adeo apud Grecos Imperatores Ecclesiæ Latinæ ac Romanæ gratiam invaluisse, ut ea Juri præponeretur. His accedit exemplum robustius, & gravius ex Synodi quasi visceribus prodiens. Flaviano Constantinopolitano Antistite ob Fidei Catholicę defensionem atroci facinore extincto, Synodus Ephesina Secunda cum ad electionem novi Antistitis devenisset, pleno suffragio Anatolium substituit. Atqui Theodosius Augustus, qui ab hæreticis circumventus castam, & integram illam Synodum prædicabat, simul etiam per eam stillantia Ecclesiæ ulcera obducta, Flavianumque jure fustibus cæsum, & morte mulctatum, datis ad Papam

pag. 102

Leonem literis, illum enixè rogavit, ut Anatolium Constantinopolitanum Antistitem ab Ephesina Synodo electum Apostolico jure firmaret; cui ita rescripsit Leo: *Ne aliquid in præjudicium Catholicæ defensionis viderer egisse, de ordinatione ejus* (scilicet Anatolii) *qui Constantinopolitanæ cæpit Ecclesiæ præsidere, nihil interim in alterutram partem temerè rescribendum putavi, non dilectionem negans, sed manifestationem Catholicæ veritatis expectans*: nimirum Fidei professionem juxta Regulam ab ipso Leone Ephesino Concilio traditam ab Anatolio mittendam expectans. Immotum itaq; & fixum Imperatoris animo erat, Papam omnino superiorem Concilio esse; electio enim Synodica, nisi à Romano Pontifice confirmata, cassa, & irrita foret. Compertum est autem, Confirmationem legitimam emanare nisi à superiore Magistratu, vel Principe minimè posse. Inde etiam est, quod si Leo hanc Confirmationem, quæ humiliter petebatur, concedere respuisset, tanquam superior quoque electionem Synodi rescidisset. Eapropter apud Concilium Chalcedonense cum Patres ejusdem Secundi Ephesini Acta discuterent, & ferè omnia ibi, ut fœdè, ac turpiter facta, detestarentur, illibata tamen, & integra, quæ constabat, Sanctum Leonem confecisse, vel approbasse, concordes penitus reliquerunt. Synodus hæc Ephesina Antiochenæ Ecclesiæ Antistitem Maximum constituerat. Evenit, ut cum hujus Synodi Acta coram Chalcedonensis Synodi Patribus legerentur, incideret lectio Maximi ad Antiochenam Sedem evecti. Infesti huic Ephesinæ Synodo erant Chalcedonis Patres omnes, eiusque Acta in frusta prope concidi, & in pulverem verti anhelabant; nihilo tamen minus, dum Maximus legebatur hujus Synodi opera in Patriarchali Sede statutus, Anatolius, cui omnes deinde assensere, reposuit. *Definimus, nihil horum valere, quæ in illa, quæ dicitur Synodus, sunt facta, nisi circa Sanctissimum Maximum magnæ Antiochenæ civitatis*

pag. 98. [margin, beside line 3]

pag. 272 [margin, beside line "omnes deinde assensere"]

Epi-

Episcopum, quoniam & Sanctissimus Leo Romanus Archiepiscopus in communionem eum recipiens praeesse eum Antiochensium Ecclesiae judicavit. Porrò hìc attendere juvat vim potestatis superioris Synodi impetum retardantis, justoque furori frænos iniicientis; omnia quippe Synodi Acta ruere Anatolius fatetur præter Maximi Episcopatum Leonis auctoritate suffultum.

Idem Concilio longè superius jus Pontificium maximè elucet in facto Dioscori. Erat hic Alexandrinus Antistes, vir factiosus, acer, turbulentus ingenio, profligatique pudoris, omniumque scelerum auctor, quæ Ephesinam illam Synodum polluerunt. Proinde inani fiducia Synodum Chalcedonensem ingressus locum invasit Alexandrino Antistiti addictum, ibique inter Episcopos supercilio nimis erecto consedit. Tunc Paschasinus Apostolicæ Sedis Legatus intonuit: *Beatissimi, atque Apostolici viri Papæ urbis Romæ præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus est ejus Apostolatus, ut Dioscorus Alexandrinus Archiepiscopus non sedeat in Concilio, sed audiendus intromittatur. Hoc nos observare necesse est*. Hoc Leonis mandato exposito Patres non rem in disceptationem vocarunt, non urnam expedierunt, non calculos numerarunt; sed Papalis vigore præcepti, cujus ne nomen quidem sustinuissent, si Concilium supra Papam censerent, loco pulsus Dioscorus in medio tanquam reus ad causam dicendam est constitutus; satis quippe cognitum erat, quod ubi Papæ Præceptum palam Synodo exprimitur, non nisi obedientiæ meritum, & venerationis officium Synodi Patribus superest. Contra verò Theodoreto etiam Episcopo contigit, qui cum à Concilio Ephesino Secundo damnatus esset, & de ejusdem Concilii sententia ad Divum Leonem appellavisset, jam deinde à Leone absolutus, & suæ Ecclesiæ redintegratus, absque alio Decreto in Synodum Chalcedonensem admissus, communisque juris suffragii

pag.115

pag. 118 particeps factus est, quemadmodum Acta testantur. *Ingrediatur Reverendissimus Episcopus Theodoretus, ut sit particeps Synodi, quia & restituit ei Episcopatum Sanctissimus Archiepiscopus Leo*. Verumtamen cum propter Theodoreti receptionem nonnullæ interiectæ difficultates fuissent aliquorum frementium, aut mussitantium, quod fautor quandoque Nestorii fuisset, quod in ejus erroris cæno se turpiter volutasset, quod adversus Divum Cyrillum nefariè stylum exacuisset, evicit tandem Divi Leonis senten-
pag. 167 tia, concorsque Synodus exclamavit: *Theodoretus dignus est Sede. Archiepiscopo Leoni multos annos. Post Deum Leo judicavit*. Observa autem hîc momenta verborum: *Post Deum Leo judicavit*. Duo videlicet Tribunalia in Catholica Ecclesia cum cælesti coniuncta patere, aliud Christi, seu Dei, aliud ejus Vicarii, Romani nempe Pontificis: simul bina inter hæc Tribunalia, cum sint ipsa connexa, & unum immediatè pendeat ab alio, medium ullum non interesse, sicut nec interest inter Principem, & Vicarium. Quapropter si Concilium Universale separatum à Papali, vel non isti subordinatum Tribunal conflat, vel ante Deum, vel post Leonem hoc novum Tribunal ponendum est. Appositè hoc argumentum expendit Iacobatius in tractatu de potestate Papæ supra Concilium, illud deducens ex illa Regula Juris, quod Principis, & Vicarii unum sit Tribunal.

Sed manifestius, & clarius hæc veritas liquet in potissima quæstione apud hanc Synodum agitata, & re vera omnium majori, quæ in toto Concilii decursu reperiuntur. Anatolius Constantinopolitanus Antistes peste Eutychetis fortasse quondam afflatus, nec in præsens, saltem in speciem, ab illa prorsus immunis, pro Fidei Formula ab ipso Concilio contra Eutychetem conficienda, & propter quam Concilium coierat, ita hanc Regulam Fidei subdolè texi curavit, qua nec expresè damnatus videretur Eutyches,

nec

nec satis, ut opus erat, explicaretur Incarnationis Mysterium falsa doctrina ab Eutychete corruptum. Cum igitur hæc Formula Fidei, velut solida, & pura subscribenda Patribus traderetur, & Anatolius clientelæ sequela tumidus negotium intenderet, reclamarunt Apostolicæ Sedis Legati vehementissimè urgentes, ut Fidei Definitio juxta Regulam à Leone in sua Epistola expressam componeretur. Admodum pauci, quanquam tutiorem, & integram, Legatorum Sententiam amplectebantur, quia Anatolii solicitudo ac dexteritas omnium prope animos occupaverat, adeo ut si suffragiorum numero dirimenda res esset, Legati multitudine obruti planè irriti destitissent. Inter has animorum jactationes, & dissidentium undiq; strepitus, Judices laici ad fortuitos compescendos tumultus primùm admissi, increpitabant, ac reprehendebant Synodi Patres, quòd, cum Leonis Epistolæ subscripsissent, nunc resistere non licebat, eamdem doctrinam Fidei Regulæ inseri. Verùm cum Judices nihil proficerent, ac passim ubique tumultus, & altercatio gliscerest, Romani tandem Legati minati sunt: *Si non consentiunt Epistolæ Apostolici, & Beatissimi viri Papæ Leonis, jubete nobis rescripta dari, ut revertamur* (scilicet Romam) *& ibi Synodus celebretur*. Deinde Legatorum voces, & minas excipiens Marcianus Augustus Concilio denunciavit: *Si autem neq; hoc vestra velit Sanctitas, cognoscat, quia in partibus Occidentalibus habet fieri Synodus, eò quòd Religiositas vestra hic noluit de vera, & Orthodoxa Fide indubitanter definire*. Hoc ergo inter Apostolicæ Sedis Legatos, & universam prope Synodum certamine incalescente, vicit in suis Legatis Apostolicæ Sedis Auctoritas ex eorum voluntate Fidei Formula constituta, & Jus supra Concilium luculenter asseruit. Tum etiam quia declaravit, quod & Augusto probatum est, nec Synodus contradixit, ad Auctoritatem Apostolicam pertinere, si ita placeret, solvere Synodum, pag. 244

& aliò

& aliò transferre, ipsa quoque Synodo reluctante. Hæc quippe connexa, & cohærentia invicem Jura sunt, Synodum dissolvere, ac Synodo præeminere. Quapropter Concilium Lateranense sub Leone Decimo celebratum sess. I. *Solum*, inquit, *Romanum Pontificem, tanquam super omnia Concilia potestatem habentem, Conciliorum faciendorum, transferendorum, ac dissoluendorum plenum jus, & auctoritatem habere*: in quo nihil novi Lateranense Concilium adjecit, ipsa Chalcedonensi Synodo prælucente, ejusque exemplo novo Decreto condito.

Præterea cum inter Antiochenum, & Hierosolymitanum Antistitem disceptatio de jurisdictionis limitibus exarsisset, multumque negotii Patribus ob partium divisiones, oppositosque conatus Causæ resolutio facesseret, Apostolicæ Sedis Legati litigio dirempto in hunc modum
pag. 265 singulare Decretum composuerunt: *Ut Antiochensium Ecclesia duas Phœnicias, & Arabiam habeat, Hierosolymorum verò tres Palæstinas possideat; ad hoc autem & nostræ humilitatis interlocutione firmentur, ut nulla in posterum de hac causa prædictis Ecclesiis contentio relinquatur*. Hæc Paschasinus Collegarum quoque consensu pronunciavit, qui tale Decretum adeo stabile, & firmum, ac simul irrevocabile auctoritate Apostolica posuit, ut etiam recursus ad Concilium præcluderetur, eo siquidem omnes de cætero contentiones exhaustas affirmat; quod utique fieri non posset, nisi Apostolica auctoritas prævaleret. Super hæc præclarum de Suprema Romani Pontificis, ac præsertim supra Synodos potestate nobis suggerit testimonium Atticus Nicopolitanus Episcopus unus ex Synodi Patribus, qui post publicè recitatam Sancti Leonis epistolam hæc in ejus
pag. 159 laudationem effudit: *Quoniam nunc Domini nostri, & Sanctissimi Patris, & Archiepiscopi Leonis adornantis Apostolicam Sedem lecta est Epistola*. Sic duplici planè jure Pontificiam auctoritatem supra Concilium extollens, jure scilicet

cet

cet *Domini*, & *Patris*; quis enim, nisi imprudenter, audeat, Ministros supra Dominum, vel Filios supra Patrem statuere, cum alterum Juri Gentium, alterum Juri Naturæ obstet? Habes hic igitur in Romano Pontifice, quem ut Patrem diligas, & ut Dominum metuas. Noli Patri obedientiam, cultum Domino pro Synodo tollere. Nec iste tantummodo Antistes communem *Patrem* Leonem appellat, sed frequenter in tota Actorum serie hoc venerabile nomen usurpatum pro Pontifice occurrit. Quinimo & Universa Synodus in Synodica Epistola, qua Actorum Confirmationem à D.Leone poposcit, *Patrem* ipsum vocat, pag.332 & *Ducem*, & *Magistrum*, & *Dominicæ Vineæ Custodem*, & *Caput*, nimirum tum Synodi, tum Ecclesiæ, ut ferè omnia Sedis Apostolicæ privilegia, quæ tantopere contra opinantes oppugnant, non adumbrata, sed expressa in illa Epistola conspiciantur, cui Patres supra quingentos, flos, & decus Catholicæ Ecclesiæ, subscripserant. Sed inter omnia argumenta, quæ pro Papæ potestate supra Concilium decerpi ab integro Actorum Volumine queunt, magni quidem roboris, & momenti, ac simile Achilli videtur illud de Canone Constantinopolitanæ Ecclesiæ post Romanam Primatus ab Anatolio fraudulenter extorto. Multa nova, scituque digna circa Canonem istum congerit Auctor. Cæterùm cum Universi Concilii Patres per Synodalem Epistolam, simul Marcianus Imperator, & Augusta Pulcheria, aliique minoris notæ impensiùs, & crebriùs Leonem oraverint, ut præfatum Canonem Auctoritate Apostolica confirmaret, inania vota, & irritæ preces cessere, undique obtruso, & inconcusso Leone, cunctisque ictibus inflexibile. Quod si Concilium supra Romanum Pontificem staret, incassum ad illum Canonem stabiliendum tantùm perturbationis, atque tumultus concitatum fuisset: leves illi viri censendi essent, qui tanta solicitudine, ac studio illius Canonis firmitudinem à Ro-

mano

mano Pontifice mendicarent, qui à Synodo, id esset, à superiori potestate, compactus suamet conditione subsisteret: nec minus reprehensione dignus Leo ipse putandus esset, qui altiori statuto, & potestati sublimiori, curvare cervicem dedignaretur. Tot absurda, tot rerum ludibria simul vorare necesse est, qui fortè arbitretur, illos Chalcedonis Patres, illam aulam Imperatoriam, & Græcorum Antistitum greges, Jus supra Leonem Oecumenicę Synodo concessisse.

Antequam tertium Armamentarium adversus negantes Pontificiæ Cathedræ circa res Fidei irrefragabilem Veritatem instituam, placet, quædam simul congesta, & per transitum tacta argumenta subducere ex Opere, quorum pleraq; hanc eamdem Infallibilitatem, & Pontificiam simul supra Concilium Auctoritatem evincunt, unde mistum quasi quoddam coalescit armamentariũ. Pro re proposita primùm occurrit illud pondus, gravitas illa verborum, quibus Divus Leo damnationis Sententiam impio Eutycheti, nisi ab errore, ac insania desisteret, minatus

pag. 56. est: *Quam utique*, inquit Leo, *si in suo Sensu voluerit permanere, nullus poterit relaxare*. Nullus, consultò ait, nullus scilicet Judex in terris, nulla Synodi Auctoritas, nulla alia intra Ecclesiæ orbem constituta potestas, rescindere Pontificiam sententiam potest, aut ejus jussibus reluctari. Siquidem negativa generalis assertio omnem exceptionem exhaurit. Ubi & clarius subinde Leo se Concilio superiorem, & simul ab omni erroris macula purum & integrum profitetur, dum post Declarationem Fidei ab Apo-

pag. 56. stolica Sede prolatam subjicit: *Dubitari non potest, quæ sit Christianæ confessionis integritas*: Nimirum hanc legem credendi in Causa Eutychetis Apostolica Sedes ponit, & Synodo imponit, quia suspicio, aut Erroris dubitatio non cadit in effusa Apostolicæ Sedis Oracula, ac simul discentem oportet Magistro credere, neve Ordo Hierar-

chi-

chicus invertatur, aurem præstare Magistro, & Rectori ac Principi obsequium. Urget & fortius in hac materia argumentum, quod ne ipse quidem Dioscorus, aut ullus Latrocinalis illius Concilii Ephesini satelles in illo tumultu, qui humana simul ac Divina jura miscuerat, ausus est dicere, non licuisse Flaviano ad Romanum Pontificem, ut Generalibus antecellentem Conciliis, provocare, ubi *libellum Appellationis* Romanis Legatis *Flavianus Episcopus dedit*, cum affirmet Leo, quod sui Nuncii *Fidem plenissimè expositam, atque digestam à Sede Beati Petri Apostoli ad Sanctam Synodum detulerant*: & etiam attexat, quod cum ejus *recitatio poscentibus Episcopis non sit admissa, hoc, quod factum est sine consideratione justitiæ & contra omnium Canonum disciplinam, ratum haberi ratio nulla permittit*: validissimè geminæ veritati, quam propugnamus, astipulatur, quia nefas erat doctrinæ resistere, quæ iniecta divinitùs mente in Leonis Epistolam fluxerat: nec minus iniquum, infra jacentem Superioris mandatum, quod Regulam Fidei in Epistola dederat, eamque legi inculcaverat, aspernari. Idque profectò est, quod contra omnium Canonum disciplinam impudenter transactum exprobrat Leo. Quid etiam, quod ipse Leo super Regula Fidei à se in Epistola tradita Synodi Patribus præcipit, ne disputatio, aut concertatio apud Synodum audaciter contrahatur. *Rejecta*, inquit, *penitus audacia disputandi, cum plenissimè, & lucidissimè per litteras, quas ad Beatæ memoriæ Flavianum Episcopum misimus, fuerit declaratum, quæ sit de Sacramento Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi pia, & sincera confessio*. Hoc planè Leoni mandare non licuisset, nisi de doctrinæ, quam dederat, Infallibilitate constaret. Præterea injuriosum, ac superbum hujusmodi foret Præceptum, nisi à Principe ad subditos mitteretur. Cæterùm cum duplex sit apud Synodos disputatio, vel materiæ, de qua agitur, conquisitio: alia, quæ ad meliorem veritatis

pag. 77

pag. 81

pag. 108

 intel-

intelligentiam, & intellectum informandum, illustrandumque, & cum pio animi affectu consociata statuitur: alia contumax, & proterva, & cum contradicendi prurigine, mentisque caligine ac pertinacia conjuncta: primum quidem apud Synodos disputandi, vel concertandi genus in usu, & laudibus est, quo Apostolos quoque in primo Hierosolymitano Concilio, cum de Legalibus abrogandis inquireretur, sapienter usos esse comperimus, Actorum 15. *Cum autem magna conquisitio facta esset surgens Petrus dixit ad eos*: alterum verò impium & præcipitio pronum, quod hìc Leo tantummodo prohibet: disertè propterea adiicitur, *audacia disputandi*. Imperat insuper Leo, ut Episcopi ab Ephesina secunda Synodo condem-
pag.110 nati suis sedibus restituantur: *Vulneribus*, inquiens, *his primitus adhibeatur medicina justitiæ*. Rursus in persona Nestorii hæc Synodo Chalcedonensi mandata, & præcep-
pag.110 ta congeminat. *In Nestorium specialiter statuta permaneant*: & aliàs, & crebrò huiusmodi phrases à Divo Leone usurpatas invenies: qui quidem imperiosè loquendi modi nisi Muneris celsitudine ad subditos dirigantur, non minus superbiam Leonis, quod asserere nefas est, tam licenter altiori Potestati loquentis, quàm Concilii patientiam, ac prope torporem, quia tam præpostera pati posset Imperia, coarguerent. Inde quoque moralis quædam Necessitas ex Juris tum humani, tùm Divini, dictamine in Synodi Patribus surgit, & Fidem Leonis probandi & ejus Præceptis obediendi. Idcirco cum apud Chalcedonense Concilium Flaviani Causa discuteretur, & maximè, an jure proscriptus ab hæreticis esset, tunc, sicut Acta
pag.113 referunt, *Lucentius Reverendissimus Episcopus Vicarius Sedis Apostolicæ, dixit: Quoniam san. mem. Flaviani Fides concordat cum Apostolica Sede, & Patrum Traditione, sententiam, qua illum ab hæreticis constat esse damnatum, ipsam in eos retorqueri à Sancta Synodo necesse est*. Hoc
porrò

porrò ut Apoſtolicæ Sedis Vicarius, & Apoſtolica auctoritate Lucentius expreſſit, nimirum Fidei doctrinam expoſitam à Leone eſſe Regulam immutabilem, & ſimul iuxta ejus directionem Sententiam in hæreticos retorquendam: quorum primum ad doctrinæ ſoliditatem & robur, alterum ad Juriſdictionem, quæ in Leone ſupereminet, ſpectat. Aliud & terſius in hac materia Legatus alter telum contorſit, quod tertio armamentario ſeponitur.

Robuſtum præterea, ac nervoſum pro vtroque aſſumpto argumentum ingerunt nobis ejuſdem Synodi Acta in Sententia damnationis iuſtè Dioſcoro à Synodo inflictæ, quæ ſic Leonis Auctoritate, ac Nomine, Synodique Miniſterio conflata prodiit. *Sanctiſſimus, & Beatiſſimus Archiepiſcopus magnæ & ſenioris Romæ Leo per nos, & per præſentem Sanctam Synodum nudavit eum* (ſcilicet Dioſcorum) *tam Epiſcopatus, &c.* Exploratum eſt autem, & omnimodè certum, quod ea Decreta, quæ publici Conſilii, Cætusve conſenſu condita ſub Unius dumtaxat nomine maximè condita promulgantur, hunc ipſum totius Communitatis Rectorem & Caput indicant. Idcirco Romana florente ac longè latèque dominante Republica, quia Poteſtas civilis cum legibus cunctos æquabat, gradumque Regiminis per orbem ductum Populi arbitrium circumferebat, ejus Decreta, ſive ſtatuta, Senatus Conſulta, aut Plebiſcita nuncupabantur, & gubernandi formulæ erant: Senatus Decrevit, Populus juſſit. Sed lapſa, & corrupta tandem Republica, & in formam Monarchicam verſa, graviora Decreta, quanquam Senatus quoque ſuffragio compoſita, Imperatoris titulo ac nomine dimanabant. Sic etiam Generalium Comitiorum Decreta ſub Monarcha Principe conſtituta, memorato Comitiorum aſſenſu ſub ſigno, ac nomine Principis divulgantur. Cum ergo in Dioſcorum lata Sententia Leonis, quanquam abſentis, Auctoritate, ac Nomine proferatur, ipſoſque Sy-

pag. 190

nodi Patres tanquam Leonis Ministros executioni illam mandasse notetur, quibus his fortè clarioribus radiis delineari Potestas Papæ supra Synodum potest? Rursus idem Dioscorus hujus sententiæ fulmine ictus cecidit, quia rejecta Leonis Epistola, nec eam recitari in Ephesina Synodo passus, simul in illa à Leone Fidei doctrinam expressam abjecit: *Leonis Epistolam recitari prohibuit* (Dioscorus scilicet) *Reverendissimis Episcopis: & hæc cum Sanctissimus, & Beatissimus magnæ Romæ Archiepiscopus Leo scelestam Eutychis in scriptis damnasset perfidiam*. Quod si aliquo pacto de doctrina Fidei Leonis ambigere, vel hæsitare fas erat, iniqua planè in Dioscorum jacta Sententia, iniquior executio censenda esset, quæ inanis utique suppositio nonminus Leonis Auctoritatem, quàm Synodi integritatem exulcerat. Aliud & Auctor cumulat argumentum, quod lectis Nicænæ Synodi Actis, & cum Leonis Epistola comparatis, Patres exclamaverunt: *Papa*
Pag.141 *Leo ita interpretatus est*. Post verò lectas Divi Cyrilli Epistolas, quas in suas Sacra, & Prima Ephesina Synodus adoptaverat, iterum Patres acclamaverunt: *Leo Episcopus*
Pag.143 *ita sapit, ita credit, ita scripsit*: & quod rursus ejusdem
Pag.150 applaudendo doctrinæ Patres intonuere: *Petrus per Leonem ita locutus est*. Ex quibus locis dilucidè Auctor Summi Pontificis Infallibilitatem, & jura supra Concilium asserta colligit, quoniam ejus Authoritas nervos, ac pondus Synodicis definitionibus daret. Sed latius videtur mihi patere argumentum: nimirum Leonis de Fide doctrinam cum Nicæno, & Ephesino quoque Concilio concordem probatam esse, quia idem Divinus Spiritus, qui sibi discors aut bilinguis esse non potest, in Papa Leone, & in Nicæno, & Ephesino quoque Concilio locutus est, cum hoc tamen interjecto discrimine, quod hic Cælestis afflatus à Romano Pontifice in Synodum, tanquam à Capite in membra, diffunditur. Disertè hanc veritatem osten-

ostendunt Melchior Canus lib. 5. de locis cap. 5. & Valentia tom. 3. disput. 1. quæst. 1. fatentes ibi, Divini Spiritus suavitatem, & lucem pro Fidei condendo, vel declarando Decreto, Romano Pontifici tanquam Ecclesiæ Capiti impressam, ex illo in Synodos, in Ecclesiam effusam, velut reflexam, & communicatam lucem irradiare. Suffragatur huic Theologorum doctrinæ præclarus Sacræ Scripturæ Textus. Etenim cùm ex Sacra Scriptura, & Patrum amplissimo testimonio habeatur, Petri Sedem, & Cathedram Moysis Cathedræ successisse, de Moysis Regimine & Cathedra Sacra Scriptura testatur Num. 11. *Et dixit Dominus ad Moysen: Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, quod senes populi sint, & Magistri, & duces eos ad ostium Tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, ut descendam, & loquar tibi, & auferam de spiritu tuo; tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris.* Quod ita eleganter explicat Glossa: *Moyses, & Spiritus, qui erat in eo, quasi clarissimi luminis lucerna fuit, ex qua Deus septuaginta senes accendit, ad quos principalis luminis splendor advenit, & origo illius nihil damni ex diminutione accepit.* Porrò hoc exemplo quomodo per Summum Pontificem Deus suam Ecclesiam docendo illuminet, exprimi, Divus Bernardus luculenter exponit lib.4. de considerat. cap.4. qui Papam Eugenium de ejus Muneris amplitudine instruens, ac de Episcoporum subjectione: *Qui* (scilicet Episcopi, inquit) *de tuo spiritu, illorum instar septuaginta Moysi, accepisse cernuntur, per quem sive præsentes, sive absentes contendant placere tibi, placere Deo.* Postremò hanc Infallibilitatem circa res Fidei à Summo Pontifice Synodi Patribus communicari, & ipsam cum Supremo Regimine stabili conjunctam esse, nemo eloquentius, quàm Divus Cyprianus explicuit, qui in Tractatu de Unitate Ecclesiæ, ubi à Christo collatum Petro Primatum, & unum Caput, &

unam

unam originem posuit, & unam Cathedram in Ecclesia, unde Fidei Oracula fluunt, his dictis adjecit: *Quomodo Solis multi radii, sed lumen unum, & rami arboris multi, sed robur unum*: quia sicut à Sole Orbis terræ splendorem & lucem, & à robore rami vegetandi, & fructificam sobolem emittendi virtutem hauriunt, ita unum lumen est, & lumen Capitis, sive originis in Ecclesia, à quo mutuatum cætera membra veritatis splendorem habent: alius quippe veritatis Divinæ radius jacitur in Ecclesiam, alius in Concilia, quæ ideo Romanus Pontifex sua Auctoritate, suo jure congregat, sustinet, & confirmat. Sed isti multi radii, quos enumerat Cyprianus, ad Apostolicam Sedem, & Cathedram, tanquam ad Caput, & lumen unum, & quæ primam lucem à lucis Auctore accipit, & in Ecclesiam effundit, juxta Cypriani sententiam referri debent. Propterea Sacri Interpretes animadvertunt, Christum constituisse, ut Apostoli, qui Ecclesiam repræsentabant, Petri ore discerent, se esse Christum Filium Dei vivi, quod Pater Æternus Petro, & Petrus Apostolis revelavit. Et huc quidem veteres Episcopos Gallos in Synodo congregatos spectasse censeo, cum relectam Leonis de Mysterio Incarnationis Epistolam studiosissimè complectentes his egregiis laudibus exornarunt, dum Leoni rescripserunt: *Apostolatus vestri scripta, ita ut Symbolum Fidei, quisquis Redemptionis sacramenta non negligit, tabulis cordis adscripsit, & tenaci, quò ad confundendos hæreticorum errores paratior sit, memoriæ commendavit*: irrefragabilem scilicet, *velut Symbolum Fidei*, doctrinam Leonis cum Suprema Regiminis Potestate nectentes: Divus quippe Thomas, quo nemo doctior, aut sanctior Parisiensem Cathedram subiit, 2. 2. quæst. 1. art. 10. ubi quærit, & probat, ad Summum Pontificem pertinere Fidei Symbolum ordinare, hoc ibi deducit ex plenitudine Potestatis, qua totam Ecclesiam Romanus Pontifex implet. Dicit enim: *Hujus*

pag. 107

ratio

ratio est, quia una Fides debet esse totius Ecclesiæ secundùm illud. 1. Corinth. Idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: quod servari non posset, nisi quæstio Fidei de Fide exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest, & sic ejus sententia à tota Ecclesia firmiter teneatur. Ubi Angelicus Doctor firmat, munus de rebus Fidei infallibiliter decernendi in eo residere oportere, cui Universalis Ecclesia, ac proinde Concilium, quod intra Ecclesiæ limites est, subiicitur: & hunc esse Romanum Pontificem. Immensam prope molem susciperem, si omnia, & singula vellem complecti, quæ uberrimè Auctor in suo Volumine exponit. Expendantur ea, quæ idem affert in Capite quadragesimo sexto de robore adiecto à Patribus Chalcedonensibus Ephesino Primo Sacrosancto Concilio à Confirmatione Cælestini, atque Sixti Romanorum Pontificum: ex quibus disertè Pontificia Infallibilitas, & Præstantia supra Synodos Generales evincitur. pag 150

Nunc ad tertium, & separatum instruendum Armamentarium progredior, quo seorsum circa res Fidei Apostolicæ Sedis Infallibilitas propugnatur; hoc enim maximè Christianæ Reipublicæ interest, nam raró cogi Universalia Concilia solent, Definitiones verò circa doctrinam Fidei frequenter à Sede Apostolica manant. Et hoc quidem ad Ecclesiæ Monarchiam pertinet, quæ in Unitate consistit, & hæc à Fide quoque Unitas derivatur. Sunt etiam quædam in Regno Leges, eas vocant fundamentales, quas nec ipsi Monarchæ laxare, aut remittere licet, alioqui fundamentis evulsis, fas esset evertere regna, subditosque gratuitò perire. Hujusmodi Legem fundamentalem Galli Salicam vocant Regibus etiam irremissibilem, quibus ejus custodia, non dispensatio permissa est. Quapropter cum Henrico Tertio Rege sublato per eam occasionem æmuli Reges vellent Francicam Monarchiam membratim scissam diversis Regulis tradere, aut integram

titulo dotis ad externos transire: cumque antiquiùs Burgundiæ Duce à Delphino interfecto ob pænam criminis ab aliquibus tractaretur, ut Delphino Regnum ademptum, jure hæreditatis, aut dotis ad Galli Regis filiam, quæ Regi Anglo nupserat, deferretur, tunc Gallicanam Monarchiam fluctuantem, & in excidium prope vergentem altiùs impressa Regibus, atque populo Legis Salicæ reverentia in suo splendore, & opulentia continuit. Similiter cum Fides, & Lex, ac doctrina Fidei, præter naturam æternæ veritatis immobilem, compages, & fundamentum Ecclesiæ Catholicæ sit, Summus Pontifex Monarcha, & Legislator Ecclesiæ, hujus Divinæ Legis minimè relaxator, sed Assertor, & Vindex, aut Interpres, & Judex Supremus habendus est. Et profectò ne Eutychetem quidem Hæresiarcham hęc Catholica veritas latuit, qui nondum in profundum erroris immersus, aut pertinacia tandem absorptus, & quibusdam per id tempus veræ doctrinæ interlucentibus radiis, scripsit Divo Leoni Papæ, cæteris se Fidei Magistris omissis, ipsius dumtaxat Leonis ut Fidei Supremi Judicis, & primam Judicii Cathedram occupantis, Sententiam per omnia secuturum fuisse. Quod etiam Leo Concilio Ephesino secundo scribens in hunc
pag.61. modum testatur: *Quod etiam in libello, quem ad nos miserat* (scilicet Eutyches) *est professus, spondens per omnia nostram secuturum se esse sententiam.* Hoc ipsum eidem Eutycheti Divus Petrus Chrysologus per literas inculcavit, ita illum erudiens, ac docens: Apud Sedem, sive Cathedram Divi Petri veræ Fidei inhærere, & constare doctrinam, & qui in illa sedet, puræ Fidei Oracula prodere: ibi eam inquirendam, & indagandam esse, nisi quis tortuoso itinere frustra volvi, ac denique labi malit. Hæc sunt ver-
pag.63. ba Divi Chrysologi: *His, quæ à Beatissimo Papa Romanæ civitatis scripta sunt, obedienter attendas, quoniam Beatus Petrus, qui in propria Sede vivit, & præsidet, præstat quæren-*

rentibus Fidei veritatem. Dicit autem, hucuſque Petrum in ſua Sede vivere, ac præſidere, non ratione Perſonæ, ſed Officij, atque ampliſſimæ Poteſtatis in ejus Succeſſorem transfuſæ.

Hæc præterea incorrupta Fidei doctrina,& cum Apoſtolica Sede connexa irrefragabilis veritas, ita ſe ſola pro certitudine ſufficit, ut pro integritate, ac firmitudine ſua nequaquam Synodorum adminiculo egeat, cum ſatis illi vigoris, & nervi ab ipſa Cathedra, tanquam veritatis radice altiùs à Chriſto poſita, fluat. Proinde Eutychetis errore cum magna fidelium ſtrage graſſante,nec dum ipſo errore Synodi ope diſcuſſo, cum Divus Leo mirabilem Epiſtolam, quæ Incarnationis Myſterium expreſſerat, texuiſſet, Juliano Coenſi Epiſcopo ſcripſit,hanc unam Epiſtolam ſatis, ſuperq; eſſe, quæ Eutychianam hæreſim jugularet: *Sufficientes literas miſimus ad confirmandos animos* (ſcilicet in Fide) *non ſolùm Sacerdotum, ſed etiam laicorum*. Clarius hoc ipſum idem Pontifex explanavit, cum Flaviano ſcripſit: *Ut amputatis diſſenſionibus Fides Catholica inviolata ſervetur, & his, qui prava defendunt, ab errore revocatis, noſtra Auctoritate, quorum fides probata fuerit, muniatur*. Ubi Divus Leo, à ſe de Fide doctrinam traditam corruptelæ remedium, diſciplinam errantium, & Fidei munimen vocat. Et Flavianus Divo Leoni reſcripſit: *Sic enim hæreſis, quæ ſurrexit, & turba, quæ propter eam factæ ſunt, facillimè deſtruentur per veſtras ſanctiſſimas Literas*. Et poſtea ſubdit: *Removebitur autem Concilium, quod fieri divulgatur, quatenus nequaquam ubique turbentur Eccleſiæ*. Atque idem Beatus Leo de eodem Eutychetis negotio conficiendo, & veritate Catholica confirmanda loquens Imperatori Theodoſio ipſum per Epiſtolam monuit: *Quamvis evidenter appareat, rem, de qua agitur, nequaquam Synodali indigere tractatione*. Ad quarum literarum intelligentiam præmittere oportet: Dioſcori ſce-

pag. 55. — pag. 45. — pag. 51. — pag. 55.

lere apud Synodum Ephesinam Secundam, quæ ad Eutychianam hæresim elidendam convenerat, hæc tumultuosè aucta, ac nefariè firmata est, adeout illa Synodus, quæ Ecclesiæ solatium esse debebat, & credebatur, exulceratio fuerit. Novum convocare Concilium, ut nonnulli censebant, nuper illatam ab Ephesino perniciem reparaturum, res aspera videbatur ob Theodosium Imperatorem studiosiùs erga Dioscorum inclinatum, eique fomenta præbentem, quibus incendia excitaret, nunc verò ipsum Dioscorum rebus secundis inflatum, ac longa licentia tumidum corruptas partes augentem, & omnino veritati recalcitrantem. Tot Ecclesiam prementibus atque inundantibus malis, vna eademque Catholicorum sententia erat, sicut etiam Leoni Flavianus exposuit, ut, Synodo prætermissa, Leonis è Cathedra de Incarnationis mysterio pronunciata Sententia, loco Concilii Fidem confirmans, hæreticas turbas prosterneret. Verùm quia paulò post improvisus, & miserabilis Theodosii Imperatoris interitus Marcianum Imperio dedit Fidei defensorem acerrimum, ex eo Concilium Chalcedonense, quo, urgente Leone, Eutyches penitus fractus est, facilè patuit.

Cæterùm nullum re vera Conciliorum Chalcedonensi liquidiùs, & clariùs pro Fidei doctrina Apostolicæ Sedis Infallibilitatem asseruit. Sub hujus Synodi initium cum de Causa Flaviani res ageretur, utrùm æquè, an iniquè in Concilio Ephesino proscriptus à Dioscoro fuerit, ideoq; Fidei confessio à Flaviano quondam emissa examini subderetur, extat Paschasini Romani Legati Actis inserta pag. 112 Sententia sic attestantis: *Sanctè, & integrè, & Catholicè Fidem exposuit beatæ memoriæ Flavianus, siquidem eius Fidei Expositio cum Beatissimi, atque Apostolici viri Papæ Romani Epistola concordat*: quam sententiam tota Synodus collaudavit, & amplexa est. Mensura proinde, ac Regula Fidei veritatem inquirentibus, & inter se consultantibus

Pa-

Patribus, Fideique articulos perpendentibus, Leonis Epistola erat; ideo enim erroris expertem Flavianum Antistitem asserunt, quia in Fidei doctrina cum Leone concordat. Illa autem dicitur Regula, qua cum quis compositus rectè graditur; qui verò ab ea deviat, sive discordat, aberrat: sicut errare, ac præcipites ire necesse est, qui hanc Regulam non sequuntur. Plus quidem dicunt, & contestantur Synodi Patres de Infallibilitate, quæ ratione Officii, atque Primariæ Sedis in Romano Pontifice constat, nimirum, qui ejus sanctionibus circa res Fidei manantibus ambiguus, vel incredulus est, pertinaciæ incurrere scopulum, prope frangi, pœnæque Anathematis subjacere. Publicè quippe in Synodo lecta Divi Leonis Epistola, quæ Incarnationis mysterium, pravè, & iniquè ab Eutychete implicatum, atque confusum, certis definitionibus explicabat, & proponebat, sicut referunt Acta, *Reverendissimi Episcopi clamaverunt: hæc Patrum Fides, hæc Apostolorum Fides: omnes ita credimus; Orthodoxi ita credunt. Anathema ei, qui ita non credit*. Ubi advertere prodest, hoc Anathematis fulmen jactum à Patribus esse, antequam Synodica Definitio, quæ postea confecta est, contra Eutychianam hæresim prodiisset, quia satis compertum jam Patribus erat, etiam Concilii auctoritate seclusa, valere contra incredulos pro Fidei Decreto Anathematis jaculum, si Papalis Definitionis numeris contortum impelleretur. Porrò autem videtur hic Textus de Excommunicationis ferendæ sententia loqui; verùm deinde argumentum dilatans latæ quoquè Sententiæ aduersus illum Excommunicationem adjungit, qui Decreto de Fide à Romano Pontifice posito reluctatur, dum asserit: *aut consentiant Epistolæ* (scilicet Leonis) *aut regularem damnationem suscipiant, & cognoscant, quia excommunicati sunt*. Ubi Auctor quasi probabili ratione discurrit, extare fortasse Canonem veterem, illisque temporibus notum, vel Ecclesiæ Traditione trans-

Pag. 149

Pag. 218

 missum,

missum, cujus vigore, qui Definitionem circa res Fidei Sedis Apostolicæ spreverit, eo ipso Censuræ pœnam incurrat. Quod conjecturæ cujusdam genus non mihi omnino alienum à veritate videtur.

At his, aliisque prætermissis, clariùs, & manifestiùs idem Chalcedonense Concilium exposuit, Definitionem circa res Fidei à Sede Apostolica constitutam, perpetuam, infallibilem, & irrevocabilem permanere. Quippe cum apud Synodum ageretur de Regula Fidei à Divo Leone in sua Epistola exposita, & qua ratione, & officio ea sequenda Patribus esset, Fidei Canonem contra Eutychetem composituris, in hunc modum ipsi Patres enunciarunt:
pag. 138 *Ita omnes dicimus, sufficiunt quæ exposita sunt* (in epistola nempe Leonis) *alteram Expositionem non licet facere*. Nota hìc, & memoria quoque recursa: *Alteram expositionem non licet facere*. Nimirum non licet Synodo, ut ipsa pleno fatetur ore, Definitionem de Fide à Romano Pontifice conditam emendare, retexere, aut diversam ab illa alteram substituere, quia hoc ipsum utique foret, mentiri Oraculo Scripturarum, ac Spiritui Sancto resistere, cujus ore, afflatuque Gentibus Petrum evangelizare ipsi Concilio Hierosolymis congregato idem Petrus asseruit, Actor. 15. *Viri fratres vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes verbum Evangelii & credere*. Et huc etiam spectat illud, quod postea subditur: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*; quia impulsus Divini Spiritus à Capite in membra cohærentia defluit.

Quod si Basileenses obiiciant, quod refert Natalis Alexander in 3. parte Seculi 15. & 16. dissert. 8. quondam objecisse, hanc ipsam Leonis Epistolam fuisse à Chalcedonensi Synodo diligenter excussam, rigidoque Examini addictam, quod certè otiosum fuisset, si illam ab omni Erroris suspicione remotam, & absque dubio impollutam, & integram Patres existimassent; sapienter, & validè Au-

ctor

ctor hæc fallacia objectamenta dissolvit. Etenim talis Epistolæ recognitio non propter Catholicos evincendos permissa est, sed propter hæreticos, qui magno ubique strepitu, fremituque jactaverant, doctrinam Leonis in illa Epistola expressam cum Nicæni, aliorumque veterum Conciliorum doctrina apertè pugnare. Illa propterea admissa, disciplinam Ecclesiæ; Fidemque Catholicam omnino perditum iri, quorum mendaces, & garrulæ voces omnem penè Orientem impleverant. Cum igitur aut dedocenda, aut perdenda esset tanta hominum multitudo; Apostolicæ Sedis Legati Leonis Epistolæ recognoscendæ assensere, sed ante scrutinium per Paschasinum priorem Collegam protestati publicè sunt: *Leonis scripta, quid vera Fides habeat, exposuerunt; similiter Sancta Synodus hanc Fidem tenet, hanc sequitur: nihil amplius nec addere potest, nec minuere.* Cujusmodi est ergo hujus Epistolæ Examen, quo nihil Epistolæ addi, vel demi licet? Profectò Jurisdictionale non est, nam Jurisdictio rei, quæ subest, arbitrium, & dominium importat, à quo illi vacabant, quibus Leonis Epistola ad Examen porrecta, irreprehensibilis, & suo tenore immutabilis consistebat. Quis autem, nisi immeritò, supremo Judici imponat, quemadmodum homines isti respectu Papæ esse Concilium jactant? Vide hanc Sententiam ab inferiori Judice latam, sed nihil omnino tibi fas est illi addere, vel minuere. Itaque Doctrinale tantummodo Examen est, nimirum ad ignaros, & imperitos erudiendos, vel ad perfidos revincendos, seu pudore, ac dedecore castigandos, qui in cælum, sive cælestem Leonis doctrinam os fœtidum ponere non horruerunt. Nec ista quidem emissa Romani Legati vox: *Nihil amplius nec addere potest, nec minuere:* quæ suæ facultatis Synodum admonebat, neglecta, vel irrita, vel ingrata Patribus cecidit; nam sic protestanti Legato statim Synodus acclamavit: *Omnes sic credimus, sic credidimus.* Post autem discus-

pag. 100

ſam Divi Leonis Epiſtolam, & cum veterum Conciliorum doctrina conformem inventam, dixit Anatolius Con-
pag. 101 ſtantinopolitanus Antiſtes: *Manifeſtum eſt, nec poterat dubitari, unam Fidem Beatiſſimi Papæ Sedis Apoſtolicæ Rectoris cum trecentorum decem, & octo apud Nicæam Patrum concordare.* Quid ergo erat Examine opus, ſi cadere in dubium non poterat, quemadmodum Anatolius, aliique deinde Patres loco ſententiæ profeſſi ſunt, certitudo doctrinæ à Papa Leone de Fide propoſitæ? Dicendum itaque eſt, eam diſcuſſionem Epiſtolæ, utilitatis profectò cauſa, non autem neceſſitatis, apud Concilium inductam, quia ſcilicet facilè ea ſedulitas poterat ora hæreticorum obſtruere, & caninos tundere dentes contra Leonis Auctori-
pag. 215 tatem attritos.

Secus hanc manifeſtam, ac prope palpabilem negantibus, vel implicantibus veritatem ad eam exprimendam iis clariora, quæ Textus ſuggerit, verba non ſuppetunt. His ad uberiorem, & clariorem doctrinam adiicio, quod omni arbitrio, ac tergiverſatione ſublata cogebantur Epiſcopi, niſi Synodo expelli mallent, & ſuffragii jus intermittere, Leonis ſubſcribere Epiſtolæ, ejuſq: doctrinam amplecti. Eapropter poſt hanc ſubſcriptam Epiſtolam, ejuſque doctrinam teſtimonio publico aſsertam, Synodus
pag. 211 exclamavit: *Sic ſapimus, ſic credimus; Patres ad Synodum: qui ſubſcripſerunt; ad Synodum:* & propterea tredecim Epiſcopi Ægyptii, qui ſubſcriptionem non recuſare, ſed dumtaxat ſpecioſa prætexta cauſa differre poſt lachrimarum imbrem, & ſordidas preces obtinuere, nudati jure ſuffragii à Synodo ejecti ſunt. Et planè barbaries, ac trucis quædam ſpecies Tyrannidis foret; quam nefas eſt notam Sacræ Synodo inurere, ſi de Fidei Doctrina à Leone ex Cathedra poſita ambigere licuiſset, in illa hæſitantem affligere, ac rigida pæna percutere. Nec re vera hujuſmodi præjudicium in Cauſa Synodi propria, & in Juris ſui

læ-

læsionem, & fraudem, si hoc Pontificio præcelleret, Synodi Patres otiosè, vel tacitè passuros unquam fuisse credendum est. Huc etiam pertinet gravis illa Sententia Sardium Antistitis, qua de Doctrina Leonis in Fidei materiá soliditate, & candore Synodi Patres admonuit; cum enim plures Episcopi jam antea Leonis Epistolæ subscripsissent, & is ex illorum numero esset, constanter asseruit, omnes, qui Dogmata Fidei illarum Literarum subscriptione professi erant, nihil habere, quod circa Fidei Doctrinam expolire, vel flectere possent, vel emendare: quod est idem ac dicere, quod documenta Fidei Leonis Auctoritate firmata nec correctioni, nec varietati, nec corruptelę subjecta erant: *Quamvis in nostra persona, qui Epistolæ Sanctissimi Leonis subscripsimus, non indigemus correctione.* Pag 139

Coronare tandem, atque vallare universam hanc quæstionem ea sententia meritò potest, quam Auctor adducit ex Allocutione Concilii Chalcedonensis Marciano Cæsari facta, ubi omni errori *impenetrabilem* Papam Leonem Concilium appellat: *Unde nobis impenetrabilem in omni errore Propugnatorem Deus providit, & Romanæ Ecclesiæ Papam ad victoriam præparavit, doctrinis eum per omnia veritatis accingens, ut quemadmodum fervens affectu Petrus, & hic affectu ferventiore decertans omnem ad Deum sensum, intelligentiamque perducat.* Mihi verò complures de hoc argumento sententias hìc, & alibi longo tempore volutanti nulla unquam sententia occurrit, quæ vehementiùs, & clariùs pro Fidei Decretis Romani Pontificis Infallibilitatem animo infigeret, atque inculcaret. Alteram ejusdem claritatis, & nervi, licet minorem auctoritate, sententiam Divus mihi Bernardus suppeditavit Epistola 190. ad Innocentium Summum Pontificem. *Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque emergentia in Regno Dei, & præsertim quæ de Fide contingunt; dignum namque arbitror, ibi potissimum resarciri damna Fidei, ubi* pag. 325

non

non possit Fides sentire defectum; *hæc quippe hujus prærogativa Sedis*; *cui enim alteri aliquando dictum est*: *Ego rogavi pro te*, *Petre*, *ut non deficiat fides tua*? Consolidat hoc Divi Bernardi sententiæ fundamentum ex eo constans, quod expressè Christus in Petro ineluctabilem, sive, ut ajunt, indefectibilem Fidem constituit, illa Canonica sanctio in cap. Majores, de Baptism. *Majores Ecclesiæ causas*, *præsertim circa Articulos Fidei contingentes*, *ad Petri Sedem referendas intelligit*, *qui novit*, *pro eo Dominum exorasse*, *ut non deficeret Fides ejus*. Sed Canonum auctoritate, quæ omnia superat, prætermissa, ut nimis effugiis adversariorum obnoxia, illas binas Sententias, Synodi videlicet, & Bernardi, equidem firmiter censeo, eludi per quascumque ambages, sed ægrè, ac difficilè posse, evinci, aut concludi, minimè posse.

Super hæc noster Auctor solicitè totam percurrens Tridentini Concilii Historiam à Petro Suave Polano marcido ingenio, & tartareo atramento compositam; alios expositos ibi notat, alios latentes detegit angues, qui adversus Supremam Romani Pontificis Potestatem, ejusdem Infallibilitatem, Ecclesiasticam Monarchiam, Ecclesiæ mores, & instituta, Patrum quoque sententias impiè, & iniquè detortas, & in favorem Protestantium furiale venenum effundunt, eosque in propatulo positos & explicatos ex ejusdem Sacræ Chalcedonensis Synodi locis arreptis, quasi funiculis, obvios hos Polani serpentes strangulat, & quos Suavis quasi degener amaros, & virulentos propinare fidelibus succos studeat, luculenter ostendit. Proprium Suavis Polani est, in tota historica serie vera falsis miscere, & verosimilia cum ancipitis fidei, arte fallaci diversa specie subiicere, aut propriam sententiam ore alieno producere, sicque multiplici laqueo incautos homines capere, vel voluntariè deceptos satyrica quoque voluptate pellicere. Sed versipellem mirè concutit Auctor, &

men-

mendacia refellit, & cuniculos aperit, & latitantem nequitiam expromit, ut nihil illi prosit, ovina pelle contectum velle Lupi rabiem & famem ad satietatem explere.

Quæ quidem adversus Polanum, & pro Suprema Summi Pontificis Potestate longè plura congesta ab Auctore argumenta, & in toto Volumine sparsa epilogi causa repetere non oportet. Solùm enim hucusque intendi, hujus optimi Libri aliquod specimen dare, primisque, ut dicitur, labris perfunctoriè gustandum præbere, similis illi, qui telam pretiosam venumdaturus quædam primò segmenta, sive particulas offert, ut captum illarum pulchritudine emptorem in totius inde telæ possessionem immittat. Cæterùm hæc Tria singularia, & in primis conspicua in hoc Opere invenio. Primum, quia materiam, de qua tractat, toties excussam, & ventilatam, immensisque prope codicibus plenam, ac satietate prope fastidiosam, narratione Chalcedonensis Synodi Historiæ ita demulcet, & condit Auctor, ut non minus prudenter doceat, quàm rerum varietate delectet. Alterum, quia Concilium Chalcedonense, quod super omnia Concilia Apostolicæ Sedis ornamentum, & culmen expressit, nemo præteritorum Auctorum, sicut ipse, discussit, & volutavit, nec tritas Catholicis merces, sed Novos quasi Uniones eruit, quibus Pontificiam Tiaram condecoraret. Tandem, quia dum argumentum revoluit Auctor his temporibus gracile, & offendiculis circumfusum, adversas opiniones ratiocinando insectatus, personis integris, jugulat, illi similis peritissimo sagittario, qui anguem percussit illæso corpore, cui erat anguis circumvolutus.

Præterea hanc Novæ Explicationis contextæ lucem Chalcedonensi Synodo superadditam Sedi Apostolicæ utilissimam puto; nulla quippe frequentius, quàm ista Synodo non modò Catholici quidam in tribus illis, quos discussimus, Articulis, tueri se posse credunt, sed & in suis

er-

erroribus Hæretici sese refricando, & allatrando jactant, sensum ejus legitimum corrumpentes, & violentas interpretationes congeminantes; quia unde magis sibi metuunt, eò magis ex adverso conatus, & vim intendunt. Digni propterea iidem Hæretici sunt, ut armorum, quibus falsò & procaciter abutuntur, in seipsos conversam cuspidem sentiant. Narrat Lucianus, quod Neanthus Pytthaci Tyranni Mitilenensium filius Orphei citharam, quæ Apollinis templo pendebat, ereptam dum inter syluas ineptè pulsat, feras discordi sonitu concitatas, & efferatas magis adegit, ut ipsum dilaniarent. Sic idem musicum instrumentum, quod bene tractatum feras, & saxa mulcebat, & fluminum impetum morabatur; mox pravè in usum conversum lapides provocabat, & in furorem belluas agebat, retortisque flumina undis citharædum inertem obrutum ibant. Sed hæc fabulosa, & omnino spernenda narratio est. Nos verò experimento comperimus, Chalcedonis Citharam, veram doctrinam concinnè sonantem, & fidibus Fidem rectè psallentem, & infidelium animos mollientem; atque informantem, præterea Deo consecratam, ejusque templo voti, & ornamenti causa pendentem, dum Hæretici arripiunt, & malè tractare, ac tangere audent, aspero sonitu, atque horrisono strepitu prudentum lacessere morsus, & Catholicos stylos ad ultionem acuere. Hic doctrinæ, & eloquentiæ nervo illos cædit, & verberat Auctor, ut non impunè ceciderit, adulterino sensu quæsisse Sacri Concilii candorem, & concentum labefactare.

Hæc habui, Illustrissime & Reverendissime Præsul, quæ tibi, quosdam velut flores in hoc Opere, tanquam ex amplo Viridario, collectos, & in fasciculum ductos, porrigerem. Hæc gloria tua domestica est in nepotibus aucta; virtus enim, quæ generis claritudinem peperit, novis meritis cumulata antiquum splendorem intendit. Compendium breve est, & in parvo nemo magnus; sed Opus magnum


gnum eſt, & ad ejus menſuram, qui, ut ego, puſillus ingenio hæret, decreſcere magis apparet. Quæ tamen utcumque compoſita, optarem ſic tibi jucunda eſſe, ut nec te tui conſilii, ſive mandati, nec me præſtiti obſequii pœniteat. Vale, & fæliciter Vale. In Ædibus Sancti Silueſtri Montis Quirinalis de Urbe die 9. Junii 1693.

Dominationis Tuæ Illuſtriſs. ac Reverendiſs.

Humillimus & Studioſiſs. Servus

D. Cajetanus Paſſarellus C.R.





ROMÆ: M DC XCIII.

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.
Superiorum permissu.